



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

LXXVI. De necessitate seu commendat. divinæ gratiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Sermones de Diversis.

725

Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt a. Quid dissimulant homines in vita sua agere poenitentiam, & extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub unius horæ articulo revocari possunt æstimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium salvem aliquos, potens sum enim in momento omnia revocare; sed non congregabo conventicula eorum de sanguinibus b, id est, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis antequam deserant ea, non magna tantum conventicula congregabo. Si benè memini, in toto canone Scripturarum unum Latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosa expectationi credere temetipsum. Et quidem spiritus non modo ubi vult, sed quando vult, spirat c, nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis quam vix multo tempore alii consequuntur: sed unde scis quod tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ d, sed non liberabit maledicum à labiis suis. Audi quis ille sit; Maledictus qui peccat in spe.

a Psal. 115. a

Periculosum in mortem usque differre curam animæ.

b Ibidem.

Nec tutum nisi exemplo Latronis in cruce demum poenitentia.

d Sap. 1. b

SERMO LXXVI.

De necessitate seu commendatione divina gratia.

Prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis a. Triplex nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans, & consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem. Nisi triam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra nostra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præveniamur; aut agere bonum, donec adjuvemur à gratia, aut consummari in bonis possumus, donec gloria repleamur. Verum in his tribus non immeritò dulcius sapit ea, quæ non modò immeritos, sed & malè meritos prævenit: ut dum adhuc filii sumus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus: non invocantibus, sed provocantibus; non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ prævenit; quia quæ adjuvat, fortitudinis; quæ consummat, plenitudinis est.

a Psal. 20. a
Benedictio triplex nob. necessaria.

Gratia necessitas ad bonum inchoandum & peragendum.

SERMO LXXVII.

De varia sorte hominum cognoscentium & non cognoscentium Deum; item cognitorum & non cognitorum à Deo.

Yyyy 2

Populus